littus ligasset, convenerunt multi delphini in mari plangentium more se habentes, ideo rex solvit eum et dimisit resilire in mare. Delphinus etiam nequaquam hominem ut alienum expavescit, sed navigiis obvius venit ludens et saltans, navem gyrans, et saepe ab una parte navis se immergens et ab altera in ictu oculi reemergens familiarem et amicum se hominibus manifeste exhibens. Optime intelligit voces hominum ad se directos, et suum nomen, quo consueverunt vocari quidem, est Simon. Humano cantu et sibilo exultat, ideo dum occurrunt nautae, vel sibilant, vel cantant, vel eos vocant, vel quod pluries contingit, eis maledictiones imprecantur, quia sunt nuntii tempestatum, et in eorum discursu intelligunt futuram auram. Musicis instrumentis avidissime auditum praebent, et musicis hominibus naturales amici sunt, unde narratur de quodam musico, quod frequenter in mari canebat, et eo ludente multi delphini maximi navem conveniebant. Hic musicus cum mortem meruisset, judicium submersionis in eum latum fuit, petivit autem, quod prius posset facere gaudium delphinis cum suo musicali, accurrentibus autem multis delphinis prosiliit reus in medium eorum, quem statim unus (b) delphinorum assumsit super dorsum, eumque vivum et incolumem ad littus transportavit. Quid multa dicam, non est novum nec inusitatum, delphinos cum hominibus amicitias habuisse, unde apud veteres Proteus, marinus deus, habuit filiam Melanthonam, cui consuetudo erat positis vestibus delphinos inequitans vagari per maria patris, quae cum formosa esset, in gratiam venit Neptuni, qui ad eam transformatus in delphinum venit atque concubuit, et deificata fuit a veteribus. Apud Jasum puerum delphinus adamavit, quem dum post assueta colludia impatientius sequeretur recedentem arenis inventus haesit. Alexander autem magnus, sed superstitiosus, illum amorem numinis fuisse interpretatus est praefecitque puerum Neptuni sacerdotio. Legimus etiam, Plinio tradente, apud Hipponem delphinum fuisse ex hominum manu cibum sumentem seque tractandum manibus praebentem, et nantibus alludentem et consedentes portantem, et multa talia vera, non fabulosa, dicuntur de istis. Si cui placet, legat in Speculo Naturali Libro XVIII. c. de delphinis.

Ende

Alia quadam vice cum pluribus peregrinis nobilibus navigavi mane ante solis ortum de Parentia ad illam insillam ad celebrandum

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;